

gruat titulo, quem hesterno die tractavimus. Qui non affuerunt, tanquam et hoc debitum petunt: sed ne forte per alias tantas moras fraudemus eos quibus jam reddendum est quod debemus, breviter commemoratum agnoscant, quantum possunt, qui hodie adsunt et heri non affuerunt. Si quid autem eos movet quod diligentius interrogare debeant, patentes aures nostras invenient in nomine Christi aliis temporibus, ne ista occupentur.

II. Diximus scriptum esse in libro Regnorum, quod David cum fugeret Saül, latere voluit apud regem quemdam Geth, nomine Achis<sup>1</sup>. Sed cum gloria ejus ibi fuisset commemorata, ne per livorem idem rex ad quem confugerat, aliquid in eum machinaretur, finxit insaniam, et quasi furore correptus, « Mutavit vultum suum; » et sicut legitur, « Affectabat, et tympanizabat ad ostia civitatis, » et ferebatur in manibus suis, et procidebat ad ostia portæ. Et dixit rex Achis: Quid huc mihi adduxistis istum? Numquid arreptitium ego opus habeo? » Et sic eum dimisit, ut impleatur quod hic scriptum est: « Mutavit vultum suum, et dimisit eum et abiit. » Dimisit autem regem Achis: hic vero dictum est quod, « Mutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit. » Diximus autem nomina mutata esse, ut sacramentum ostenderetur: ne si idem nomen repetitum esset in titulo Psalmi, non nobis prophetasse aliquid in sacramento, sed quasi gesta narrasse videretur. Utrumque ergo nomen magnum continet sacramentum. Nam Achis interpretatur, Quomodo est: Abimelech interpretatur, Patris mei regnum. In illo verbo quod dicitur, Quomodo est, ignorantia significatur, ut verbum mirantis et non agnoscantis intelligas: in isto autem quod dicitur Abimelech, regnum Judæorum significatur. Ex Christi enim persona

<sup>1</sup> Reg. xxi, 10, etc.

potest dici, Patris mei regnum; quia pater ipsius secundum carnem, David; et regnum David erat in gente Judæorum. Coram regno ergo Patris sui: « Mutavit vultum » suum, et dimisit eum, et abiit; » quia erat ibi sacrificium secundum ordinem Aaron, et postea ipse de corpore et sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Mutavit ergo vultum suum in sacerdotio, et dimisit gentem Judæorum, et venit ad gentes. Quid est ergo; « Affectabat<sup>1</sup>? » Affectu plenus erat. Quid enim tam plenum affectu, quam misericordia Domini nostri Jesu Christi, qui videns infirmitatem nostram, ut nos a sempiterna morte liberaret, temporalem mortem cum tanta injuria contumeliaque suscepit? « Et tympanizabat: » quia tympanum non fit nisi cum corium in ligno extenditur; et tympanizabat David significans quod crucifigendus esset Christus. « Tympanizabat autem ad ostia civitatis. » Quæ sunt ostia civitatis, nisi corda nostra quæ clausuramus contra Christum, qui de tympano crucis aperuit corda mortalium? « Et ferebatur in manibus » suis. » Quomodo ferebatur in manibus suis? Quia cum commendaret ipsum corpus suum et sanguinem suum, accepit in manus suas quod norunt fideles; et ipse se portabat quodam modo, cum diceret, « Hoc est corpus » meum<sup>2</sup>. Et procidebat ad ostia portæ<sup>3</sup>: » id est, humiliavit se. Hoc est enim procidere usque ad initium fidei nostræ. Ostium enim portæ initium fidei, unde incipit Ecclesia, et pervenit usque ad speciem: ut cum credit ea quæ non videt, mereatur perfrui cum facie ad faciem videre coeperit. Sic se habet titulus Psalmi; breviter audivimus; audiamus jam ipsa verba affectantis et tympanizantis ad portam civitatis.

III. « BENEDICAM Dominum in omni tempore, semper

<sup>1</sup> 1 Reg. xxi, 13, etc. — <sup>2</sup> Matth. xxvi, 26. — <sup>3</sup> 1 Reg. xxi, 13.

» per laus ejus in ore meo<sup>1</sup>. » Dicit Christus, dicat et Christianus; quia et Christianus in corpore Christi est; et propterea Christus homo, ut posset esse Christianus Angelus, qui ait, « Benedicam Dominum. » quando « bene- » dicam Dominum? » Quando tibi benefacit? quando abundant sæcularia? quando multum abundat frumenti, olei, vini, auri, argenti, mancipiorum, pecorum, salusque ista mortalis invulnerata et incorrupta persistit, ea quæ nascuntur crescunt omnia, nihil immatura morte subtrahitur, felicitas tota abundat in domo, circumfluunt omnia, tunc benedices Dominum? Non: sed in omni tempore. Ergo et tunc, et quando ista secundum tempus et secundum flagella Domini Dei nostri turbantur, auferuntur, minus nascuntur, jam nata dilabuntur. Fiunt enim hæc, et inde sequitur penuria, egestas, labor, dolor et tentatio. Sed tu qui cantasti, « Benedicam Dominum in omni » tempore, semper laus ejus in ore meo, » et quando ista dat, benedic; et quando ista tollit, benedic. Quia illa dat, ille tollit: sed se ipsum a benedicente se non tollit.

IV. Quis est autem qui benedicit Dominum in omni tempore, nisi humilis corde? Ipsam enim humilitatem docuit Dominus noster in corpore et sanguine suo: quia cum commendat corpus et sanguinem suum, humilitatem suam commendat, in eo quod in ipsa historia scriptum est, in illo quasi furore David, quod prætermisimus, « Et » salivæ decurrebant super barbam ejus<sup>2</sup>. » Cum legeretur Apostolus, audistis ipsas salivas, sed decurrentes super barbam. Dicit aliquis, « Quas salivas audivimus: » Nonne modo lectus est Apostolus, cum diceret, « Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt? Modo lectum est: » « Nos autem prædicamus, inquit, Christum crucifixum, » ( tunc enim tympanizabat, ) Juræis quidem scandalum,

<sup>1</sup> Psal. xxxiii, 2. — <sup>2</sup> 1 Reg. xi, 13.

» Gentibus autem stultitiam; ipsis vero vocatis Judæis et » Græcis, Christum Dei Virtutem et Dei Sapientiam: quia » quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod » infirmum est Dei, fortius est quam homines<sup>1</sup>. » Salivæ enim significant stultitiam, salivæ significant infirmitatem. Sed si quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est quam homines: non tanquam salivæ offendant, sed attende, quia super barbam decurrunt. Quomodo enim salivæ infirmitas, sic barba virtus ostenditur. Texit ergo virtutem suam corpore infirmitatis suæ: et quod forinsecus infirmabatur, tanquam in saliva apparebat; intus autem divina virtus tanquam barba tegebatur. Ergo humilitas nobis commendatur. Esto humilis, si vis benedicere Dominum in omni tempore: et semper laus ejus sit in ore tuo. Quia Job non tantum benedixit Dominum, quando abundabant illi omnia quibus eum legimus divitem fuisse et felicem, et pecore et servis, et domo, felicem filiis, et omnibus rebus. Ablata sunt omnia uno tempore, et implevit quod in hoc Psalmo scriptum est, dicens: « Dominus dedit, Dominus abs- » tulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen » Domini benedictum<sup>2</sup>. » Ecce habes exemplum benedicentis Dominum in omni tempore.

V. Quare autem benedicit Dominum homo in omni tempore? Quia humilis est. Quid est esse humilem? Nolle in se laudari. Qui in se vult laudari, superbus est. Qui superbus non est, humilis est. Non vis ergo esse superbus? Ut possis esse humilis, dic quod dictum est, « In Domino » laudabitur anima mea; audiant mansueti, et lætentur<sup>3</sup>. » Ergo qui non in Domino volunt laudari, non sunt mansueti; sed truces, asperi, elati, superbi. Jumenta mansueta vult habere Dominus; esto jumentum Domini, id

<sup>1</sup> 1 Cor. i, 22-26. — <sup>2</sup> Job. i, 21. — <sup>3</sup> Psal. xxxiii, 3.

est, esto mansuetus. Sedet ille super te, ipse regit te : noli timere ne offendas, et eas in præceps. Infirmas quidem tua est, sed attende quis tibi præsideat. Pullus asini es, sed Christum portas. Nam et ipse in pullo asini venit ad civitatem, et fuit illud jumentum mansuetum. Numquid laudabatur jumentum illud? Numquid jumento dicebatur, « Hosanna, fili David, benedictus qui venit in » nomine Domini<sup>1</sup>? » Asellus portabat : sed ille qui portabatur, a præcedentibus et consequentibus laudabatur. Et dicebat forte jumentum : « In Domino laudabitur anima » mea; audiant mansueti, et lætentur. » Nunquam illud dixit ille asinus, fratres : sed dicat illud populus qui imitatur jumentum illud, si vult portare Dominum suum. Irascitur forte populus, quia comparatur asello in quo sedit Dominus : et dicent mihi aliqui superbi et elati, Ecce asinos nos fecit. Sit asinus Domini quisquis hoc dicit; ne sit equus et mulus, quibus non est intellectus. Nostis enim Psalmum ubi dicitur, « Nolite esse sicut equus et mulus, » quibus non est intellectus<sup>2</sup>. » Equus enim et mulus erigunt cervicem aliquando, et sua ferocitate excutiunt a se sessorem. Domantur frenis, campo, verberibus, donec discant subesse, et portare dominum suum. Tu autem antequam freno tundantur ora tua, esto mansuetus, et porta Dominum tuum : noli in te velle laudari, sed laudetur ille qui super te sedet, et dices, « In Domino laudabitur » anima mea, audiant mansueti, et lætentur. » Nam quando audiunt non mansueti, non lætantur, sed irascuntur : et ipsi sunt qui dicunt quod asinos eos fecerimus. Qui autem mansueti sunt, dignentur audire et esse quod audiunt.

VI. Sequitur, « Magnificate Dominum mecum<sup>3</sup>. » Quis est iste, qui exhortatur, ut magnificemus cum illo Dominum?

<sup>1</sup> Matth. xxi, 9. — <sup>2</sup> Psal. xxxi, 9. — <sup>3</sup> Id. xxxiii, 4.

Quisquis est, fratres, in corpore Christi, ad hoc debet dare operam, ut magnificetur cum illo Dominus. Amat enim Dominum quisquis est iste. Et quomodo illum amat. Ut non invideat co-amatori suo. Quisquis enim amat carnaliter, necesse est ut cum zelo pestifero amet : si forte pro magno nudam videre potuerit, quam pestifero amore desideravit, numquid vult ut videat illam et alius? Necesse est ut zelo et livore saucietur, si et alius eam viderit. Et sic servatur castitas, si aut ille videat cui licet, et alius non videat, aut nec ipse. Non sic est Sapientia Dei : videbimus illam facie ad faciem, et omnes videbimus, et nemo ibi zelabit. Omnibus se exhibet, et integra est et casta est omnibus. Illi mutantur in eam, et ipsa in eos non mutatur. Ipsa est veritas, ipsa est Deus. Numquid aliquando audistis, fratres, quod potuerit commutari Deus noster? Supereminens omnibus veritas est, Verbum Dei est, Sapientia Dei est, per quem facta sunt omnia : habet amatores suos. Sed quid dicit amator ipsius? « Magnificate » Dominum mecum. » Nolo solus magnificare Dominum, nolo solus amare, nolo solus amplecti. Non enim si ego amplexus fuero, non habet alius ubi manus ponat. Latitudo tanta est in ipsa Sapientia, ut omnes animæ amplectantur et perfruantur. Et quid dicam, fratres? Erubescant qui sic amant Deum, ut invideant aliis? Aurigam perditii homines amant, et quisquis amaverit aurigam aut venatorem, vult ut totus populus cum illo amet; et hortatur, et dicit : Amate mecum illum pantomimum, amate illam mecum et illam turpitudinem. Clamat ille in populo, ut ametur cum illo turpitudine : et Christianus non clamat in Ecclesia, ut ametur cum illo veritas Dei? Excitate ergo in vobis amorem, fratres, et clamate unicuique vestrorum, et dicite : « Magnificate Dominum mecum. » Sit in vobis iste fervor. Quare vobis recitantur ista, et exponuntur?

Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei qui vobis junguntur, et omnes qui sunt in domo vestra: si amatur a vobis corpus Christi, id est, unitas Ecclesiae, rapite eos ad fruendum, et dicite: « Magnificate Dominum mecum. »

VII. « Et exaltemus nomen ejus in idipsum<sup>1</sup>. » Quid est, « Exaltemus nomen ejus in idipsum? » Hoc est in unum. Nam multi codices sic habent: « Magnificate Dominum » mecum, et exaltemus nomen ejus in unum. » Sive « In » idipsum » dicatur, sive « In unum; » hoc idem dicitur. Ergo rapite quos potestis, hortando, portando, rogando, disputando, rationem reddendo, cum mansuetudine, cum lenitate: rapite ad amorem; ut si magnificent Dominum, in unum magnificent. Et pars Donati videtur sibi magnificare Dominum: quid eos offendit orbis terrarum? Dicamus illis, fratres, « Magnificate Dominum mecum, et » exaltemus nomen ejus in unum. » Quare in praecisione vultis magnificare Dominum? Ille unus est, quare duos populos vultis facere Deo: Quare vultis dissipare corpus Christi? Certe enim ipse pendebat in cruce, quando tympanizabat: et cum penderet in cruce, emisit spiritum<sup>2</sup> et venerunt illi qui eum suspenderant, et invenerunt eum emisisse spiritum, et non illi fregerunt crura: latronibus autem adhuc in cruce viventibus fregerunt<sup>3</sup>, ut per ipsum dolorem compendio mortis ab illo cruciatu liberarentur, quomodo solebat crucifixis fieri. Ergo venit persecutor, invenit Dominum quiete deposuisse spiritum: quia ipse dixit: « Potestatem habeo ponendi animam meam<sup>3</sup>. » Pro quibus posuit animam suam? Pro universa plebe sua, pro toto corpore suo. Venit ergo persecutor, et non fregit crura Christi: venit Donatus et disruptit Ecclesiam Christi. Integrum corpus Christi in cruce inter manus persecutorum est, et inter manus Christianorum non est integrum

<sup>1</sup> Psal. xxxiii, 4. — <sup>2</sup> Joan. xix, 32, 33. — <sup>3</sup> Joan. x, 18.

corpus Ecclesiae. Clamemus ergo, fratres, cum gemitu quantum possumus, dicentes: « Magnificate Dominum » mecum, et exaltemus nomen ejus in unum. » Ecclesia enim illis clamat: vox est Ecclesiae, clamans illis qui se praeciderunt. Unde enim disrupti sunt? Per superbiam. Docet autem Christus humilitatem, cum commendat corpus et sanguinem suum: quod diximus Sanctitati Vestrae in hoc Psalmi textu agi et celebrari, ubi commendatur corpus et sanguis Christi, ubi commendatur humilitas Christi, quam pro nobis suscipere dignatus est.

VIII. « Inquisivi Dominum, et exaudivit me<sup>1</sup>. » Ubi exaudivit Dominus? Intus. Ubi dat? Intus. Ibi oras, ibi exaudiris, ibi beatificaris. Orasti, exauditus es, beatificatus es; et non scit qui juxta te stat: gestum est totum in occulto, sicut Dominus in Evangelio dicit: « Intra in cubiculum tuum, claude ostium tuum, et ora in occulto, » et Pater tuus qui videt in occulto, reddet tibi<sup>2</sup>. » Cum ergo intras cubiculum tuum, intras cor tuum. Beati qui gaudent quando intrant ad cor suum, et nihil mali ibi inveniunt. Attendat Sanctitas Vestra: Quomodo nolunt intrare domos suas, qui habent malas uxores, quomodo exeunt ad forum, et gaudent; coepit hora esse, qua intrent in domum suam, contristantur: intraturi sunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad eversiones; quia non est domus composita, ubi inter virum et uxorem pax nulla est; et melius illi est foris circumire. Si ergo miseri sunt, qui cum redeunt ad parietes suos, timent ne aliquibus suorum perturbationibus evertantur; quanto sunt miseres, qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur! Ergo ut possis libens redire ad cor tuum, munda illud. « Beati enim mundi » corde, quoniam ipsi Deum videbunt<sup>3</sup>. » Aufer inde cu-

<sup>1</sup> Psal. xxxii, 5. — <sup>2</sup> Matth. vi, 6. — <sup>3</sup> Id. v, 8.

piditatum sordes, aufer labem avaritiæ, aufer tabem superstitionum, aufer sacrilegia et malas cogitationes; odia, non dico adversus amicum, sed etiam adversus inimicum: aufer ista omnia; intra in cor tuum, et gaudebis ibi. Cum ibi coeperis gaudere, ipsa munditia cordis tui delectabit te, et faciet orare: quomodo si venias ad aliquem locum, silentium est ibi, forte quies est ibi, mundus est locus; Oreus hic, dicis: et delectat te compositio loci, et credis quod ibi te exaudiat Deus. Si ergo loci visibilis te delectat munditia, quare te non offendit immunditia cordis tui? Intra, munda omnia, leva oculos tuos ad Deum, et statim te exaudiet. Clama, et dic: « Inquisivi Dominum, et ex- » audivit me: et ex omnibus tribulationibus meis eruit » me. » Quare? Quia cum fueris illuminatus, cum coeperis hic habere bonam conscientiam, restant tribulationes, quia restat aliquid infirmum, donec mors absorbeatur in victoriam, et mortale hoc induat immortalitatem<sup>1</sup>: necesse est ut in hoc sæculo flagelleris: necesse est ut aliquas tentationes suggestionesque patiaris. Mundabit Deus omnia, eruet te ab omni tribulatione, ipsum quære.

IX. « Inquisivi Dominum, et exaudivit me. » Qui ergo non exaudiuntur, non Dominum quærunt. Intendat Sanctitas Vestra: Non dixit: Inquisivi aurum a Domino, et exaudivit me; inquisivi a Domino senectutem, et exaudivit me; inquisivi a Domino hoc aut illud, et exaudivit me. Aliud est aliquid inquirere a Domino, aliud ipsum Dominum inquirere. « Inquisivi, inquit, Dominum, et exaudivit me. » Tu autem quando oras, et dicis: Occide illum inimicum meum, non Dominum inquiris, sed quasi facis te iudicem super inimicum tuum, et facis quæstionarium (20) Deum tuum. Unde scis ne melior te sit cuius mortem quæris? eo ipse forte, quia ille non quærit tuam. Ergo noli aliquid a

<sup>1</sup> Cor. xv, 54.

Domino extra quærere, sed ipsum Dominum quære, et exaudiet te, et adhuc te loquente dicet: « Ecce adsum<sup>1</sup>. » Quid est, « Ecce adsum? » Ecce præsens sum, quid vis? quid a me quæris? Quidquid tibi dederò, vilius est quam ego: me ipsum habe, me fruire, me amplectere: nondum potes totus; ex fide continge me, et inhærebis mihi, (hoc tibi Deus dicit,) et cætera onera tua ego a te deponam, ut totus mihi inhæreas, cum hoc mortale tuum ad immortalitatem convertero<sup>2</sup>; ut sis æqualis Angelis meis<sup>3</sup>, et semper videas faciem meam, et gaudeas, et gaudium tuum nemo auferet a te<sup>4</sup>; quia inquisisti Dominum, et exaudivit te, et ex omnibus tribulationibus tuis eruit te.

X. Diximus quis esset exhortator, amator ille, qui non solus vult amplecti quod amat, et dicit: « Accedite ad » eum, et illuminamini. » Dicit enim quod ipse probavit. Spiritalis enim quidam in corpore Christi, vel etiam ipse Dominus noster Jesus Christus secundum carnem, caput exhortans membra cætera, quid dicit? « Accedite ad eum, » et illuminamini<sup>5</sup>. » Aut potius Christianus aliquis spiritualis ad ipsum Dominum nostrum Jesum Christum invitatur ut accedamus. Sed accedamus ad eum, et illumine-mur; non quomodo ad eum accesserunt Judæi, ut tenebrarentur. Accesserunt enim ad illum, ut crucifigerent: nos ad eum accedamus, ut corpus et sanguinem ejus accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt: nos manducando crucifixum et bibendo illuminamur. « Accedite ad eum, » et illuminamini, » ecce Gentibus dicitur. Crucifixus Christus inter Judæos erat sævientes et videntes, Gentes absentes erant: ecce illi accesserunt qui in tenebris erant, et qui non viderunt illuminati sunt. Unde accedunt Gentes? Fide sectando, corde inhiando, charitate currendo.

<sup>1</sup> Isaï. lxv, 24. — <sup>2</sup> 1 Cor. xv, 54. — <sup>3</sup> Matth. xxii, 30. — <sup>4</sup> Joan. xvi, 22. — <sup>5</sup> Psal. xxxiii, 6.

Pedes tui, charitas tua est. Duos pedes habeto, noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis, Dei et proximi. Istis pedibus curre ad Deum, accede ad illum: quia et ut curreres ipse hortatus est, et ipse suum lumen aspexit sic, ut magnifice et divine se sequi possitis. « Et vultus vestri non erubescet. Accedite, inquit, ad » eum et illuminamini: et vultus vestri non erubescet<sup>1</sup>. » Non erubescet vultus nisi superbi. Quare? Quia elatus vult esse, et quando fuerit passus contumeliam, aut ignominiam, aut casum secundum sæculum, aut aliquam afflictionem, erubescit. Sed noli timere, accede ad eum, et non erubesces. Quidquid fecerit tibi inimicus, videtur te superior esse apud homines: sed tu apud Deum superior illo es. Ego cepi, ego ligavi, ego interfeci. Quam superiores sibi videntur qui ista dicunt! Quam superiores videbantur sibi Judæi quando Dominum colaphizabant, quando spuebant in faciem ejus, et de canna percutiebant caput, quando spinis coronabant, quando tunica ignominiosa circumdabant! Quam superiores erant! Et ille videbatur inferior, quia procidebat ad ostia portæ<sup>2</sup>: sed ille non erubescerat. Lumen enim erat verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum<sup>3</sup>. Sicut ergo lumen non potest confundi, sic et illuminatum confundi non sinit. « Accedite ergo ad eum, et illuminamini; et vultus vestri non erubescet. »

XI. Sed dicit aliquis, Quomodo ad eum accedo? Tantis malis, tantis peccatis oneratus sum, tanta scelera clamant de conscientia mea, quomodo audeo accedere ad Deum? Quomodo? Si humiliaveris te per pœnitentiam. Sed erubesco, ais, pœnitentiam agere. Accede ergo ad eum, et illuminaberis, et vultus tuus non erubescet. Si enim timor erubescendi revocat te a pœnitentia, pœnitentia autem

<sup>1</sup> Psal. xxxiii, 6. — <sup>2</sup> 1 Reg. xxi, 13. — <sup>3</sup> Joan. 1, 9.

facit te accedere ad Deum: non vides quia pœnam gestas in vultu, quia ideo erubuit vultus tuus, quoniam non accessit ad Deum; ideo non accessit, quia non vult agere pœnitentiam? Sicut attestatur Propheta: « Iste inops clamavit, et Dominus exaudivit eum<sup>1</sup>. » Docet te quomodo exaudiaris. Ideo non exaudiris, quia dives es. Ne forte clamabas, et non exaudiebaris, audi quare. « Iste inops » clamavit, et Dominus exaudivit eum. » Inops clama, et exaudit Dominus. Et quomodo clamabo inops? Ut etsi habes aliquid, non inde præsumas de viribus tuis: ut intelligas te indigentem, ut intelligas te tandiu esse pauperem, quandiu non habes illum qui facit te divitem. Quomodo autem Dominus exaudivit eum? « Et ex omnibus », inquit, tribulationibus ejus salvum fecit eum. Et quomodo salvos facit ab omnibus tribulationibus? « Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et » eruet eos<sup>2</sup>. Sic scriptum est, fratres; non quomodo habent aliqui mendosi codices: « Immittet Angelus Dominus in circuitu timentium eum, et eruet eos: » sed sic: « Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, » et eruet eos. » Quem hic dixit Angelum Domini, qui immittet in circuitu timentium eum, et eruet eos? Ipse Dominus noster Jesus Christus in prophetia dictus est magni consilii Angelus, magni consilii nuntius: sic illum dixerunt Prophetæ<sup>3</sup>. Ipse ergo magni consilii Angelus, id est, nuntius, immittet in eos qui timent Dominum, et eruet eos. Noli ergo timere ne lateas: ubicumque Dominum timueris, novit te ille Angelus, qui immittet in circuitu, et eruet te.

XII. Aperte modo de ipso sacramento vult dicere, quo ferebatur in manibus suis. « Gustate, et videte quoniam » suavis est Dominus<sup>4</sup>. » Nonne aperit se Psalmus, et ostendit tibi illam quasi insaniam et furorem constantem,

<sup>1</sup> Psal. xxxiii, 7. — <sup>2</sup> Ibid. 8. — <sup>3</sup> Isaï. ix, 6, juxta lxx. — <sup>4</sup> Psal. xxxiii, 9.

sanam insaniam et sobriam ebrietatem illius David, qui in figura nescio quid ostendebat, quando illi ex persona regis Achis dixerunt: « Quomodo est <sup>1</sup>? » quando dicebat Dominus: « Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam <sup>2</sup>. » Et illi in quibus regnabat Achis, id est, error et ignorantia, quid dixerunt? « Quomodo iste poterit nobis dare carnem suam manducare <sup>3</sup>? » Si ignoras, gusta, et vide quoniam suavis est Dominus: si autem non intelligis, rex es Achis. Immutabit faciem suam David, et recedet a te, et dimittet te, et abibit.

XIII. « Beatus vir qui sperat in eum <sup>4</sup>. » Hoc quid opus est diu exponi? Quisquis non sperat in Domino, miser est. Quis est qui non sperat in Domino? Qui in se sperat. Aliquando quod pejus est, fratres mei, attendite, aliquando homines nolunt sperare in se, sed in aliis hominibus. Salva salute Gaii Seii, nihil mihi potes facere. Et forte loquitur de homine jam mortuo. In ista civitate dicit, Salva salute illius, et ille in aliis locis forte mortuus est. Et quam cito dicunt homines hoc: et non dicunt, Credo Deo quia non te permittit nocere mihi. Non dicunt: Credo Deo meo, quia et si te permiserit ad aliquid meum, ad animam meam non te permittet. Sed cum dicunt, Salva salute illius, nec ipsi volunt habere salutem, et illos gravant per quos putant habere salutem.

XIV. « Timete Dominum omnes sancti ejus, quia nihil » deest timentibus eum <sup>5</sup>. » Multi enim propterea nolunt timere Dominum, ne famem patiantur. Dicitur illis: Nolite fraudem facere. Et dicunt: Unde me pasco? Non potest ars sine impostura esse, non potest negotium esse sine fraude. Sed fraudem punit Deus. Time Deum. Sed si ti-

<sup>1</sup> 1 Reg. xxi, 11. — <sup>2</sup> Joan. vi, 54. — <sup>3</sup> Ibid. 53. — <sup>4</sup> Psal. xxxiii, 9. — <sup>5</sup> Ibid. 10.

muero Deum, non habebis unde vivam. « Timete Dominum » omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. » Copiam promittit trepido, et dubitanti ne si forte time-rit Dominum deserant illum superflua. Pascebat te Dominus contemnentem se, et deseret te timentem se? Attende, et noli dicere: Ille dives est, et ego pauper sum: ego timeo Dominum, ille non timendo quantum acquisivit, et ego timendo nudus sum! Videte quid sequitur: « Divites » eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum » non minuentur omni bono <sup>1</sup>. » Si ad litteram accipias, videtur te fallere. Respicias enim multos divites iniquos mori in divitiis suis, non factos fuisse pauperes, cum vivunt; vides illos senescere, perduci ad ultimum vitæ inter magnas copias divitiarum, celebrari eis pompam fune-ris in magnis effusionibus, perduci usque ad sepulcrum divitem, qui et expiravit in lectis eburneis, circumflente familia suorum; et dicis in animo tuo, si forte nosti aliqua et peccata et scelera ipsius: Ego novi quanta fecerit iste homo; ecce senuit, mortuus est in lecto suo, deducunt illum sui, pompa tanta funeris celebratur: ego novi quæ fecerit; decepit me Scriptura, et fefellit, ubi audio et canto, « Divites eguerunt et esurierunt. » Quando iste inops fuit? quando esurivit? « Inquirentes autem Do- » minum non minuentur omni bono. » Quotidie ad basilicam surgo, quotidie genuflecto, quotidie inquirō Dominum, et nihil boni habeo: iste non inquisivit Dominum, et inter tanta bona defunctus est! Sic cogitantem suffocat laqueus scandali. Escam enim mortalem quærit in terra, et veram mercedem non quærit in cœlo, et mittit caput in laqueum diaboli, constringuntur ei fauces, et tenet diabolus ad malefaciendum, ut sic imitetur illum divitem, quem videt in tanta copia defunctum.

<sup>1</sup> Psal. xxxiii, 11.